

AUSONE

APPENDIX AUSONIANA (205 vers)

I SEPTEM SAPIENTUM SENTENTIAE

BIAS PRIENEUS

A_A1 v.1 Quaenam summa boni est ? Mens semper conscia recti.
 2 Pernicies homini quae maxima ? Solus homo alter.
 3 Quis dives ? Qui nil cupiet. Quis pauper ? Avarus.
 4 Quae dos matronis pulcherrima ? Vita pudica.
 5 Quae casta est ? De qua mentiri fama veretur.
 6 Quod prudentis opus ? Cum possis, nolle nocere :
 7 quid stulti proprium ? Non posse et velle nocere.

PITTACUS MITYLENAEUS

A_A1B v.1 Loqui ignorabit, qui tacere nesciat.
 2 Bono probari malo quam multis malis.
 3 Demens superbis invidet felicibus ;
 4 demens dolorem ridet infelicium.
 5 Pareto legi, quisque legem sanxeris.
 6 Plures amicos re secunda compares :
 7 paucos amicos rebus adversis probas.

CLEOBULUS LINDIUS

A+A1C v.1 Quanto plus liceat, tam libeat minus.
 2 Fortunae invidia est immeritus miser.
 3 Felix criminibus non erit hoc diu.
 4 Ignoscas aliis multa, nihil tibi.
 5 Parcit quisque malis, perdere vult bonos.
 6 Majorum meritis gloria non datur :
 7 turpis saepe datur fama minoribus.

PERIANDER CORINTHIUS

A_A1D v.1 Numquam discrepat utile ab decoro.
 2 Plus est sollicitus magis beatus.
 3 Mortem optare malum, timere pejus.
 4 Faxis, ut libeat, quod est necesse.
 5 Multis terribilis caveto multos.
 6 Si fortuna juvat, nihil laboris :
 7 si non adjuvat, hoc minus laboris.

SOLON ATHENIENSIS

A_A1E v.1 Tunc beatam dico vitam, cum peracta fata sunt.
 2 Par pari jugator conjunx ; quidquid inpar, dissidet.
 3 Non erunt honores umquam fortuiti muneris.
 4 Clam coarguas propinquum, quem palam laudaveris.
 5 Pulchrius multo parari quam creari nobilem.
 6 Certa si decreta sors est, quid cavere proderit ?
 7 Sive sunt incerta cuncta, quid timere convenit ?

CHILON LACEDAEMONIUS

A_A1F v.1 Nolo minor me timeat despiciatque major.
 2 Vive memor mortis, item vive memor salutis,

3 tristia cuncta exsuperans aut animo, aut amico.
 4 Tu bene si quid facias, nec meminisse fas est ;
 5 quae bene facta accipias, perpetuo memento.
 6 Grata senectus homini, quae parilis iuventae :
 7 illa iuventa est gravior, quae similis senectae.

ANACHARSIS SCYTHES

A_A1G v.1 Turpe quid ausurus te sine teste time.
 2 Vita perit, mortis gloria non moritur.
 3 Quod facturus eris, dicere distuleris.
 4 Crux est, si metuas, vincere quod nequeas.
 5 Cum vere objurges, sic inimice juvas :
 6 cum falso laudes, tunc et amice noces.
 7 Nil nimium. Satis hoc, ne sit et hoc nimium.

II DE ROSIS NASCENTIBUS

A_A2 v.1 Ver erat et blando mordenti a frigore sensu
 2 spirabat croceo mane revecta dies.
 3 Stricter eois praecesserat aura jugales
 4 aestiferum suadens anticipare diem.
 5 Errabam riguis per quadrua compita in hortis
 6 maturo cupiens me vegetare die.
 7 Vidi concretas per gramina flexa pruinas
 8 pendere aut holerum stare cacuminibus,
 9 caulibus et teretes patulis concludere guttas
 10 [LACUNE]
 11 vidi Paestano gaudere rosaria cultu
 12 exoriente novo roscida lucifero.
 13 Rara pruinosis canebat gemma fructectis
 14 ad primi radios interitura die.
 15 Ambigeres, raperetne rosis Aurora ruborem
 16 an daret et flores tingeret orta dies.
 17 Ros unus, color unus et unum mane duorum ;
 18 sideris et floris nam domina una Venus.
 19 Forsan et unus odor : sed celsior ille per auras
 20 diffluit : expirat proximus iste magis.
 21 Communis Paphie dea sideris et dea floris
 22 praecipit unius muricis esse habitum.
 23 Momentum intererat, quo se nascentia florum
 24 germina comparibus dividerent spatii.
 25 Haec viret angusto foliorum tecta galero,
 26 hanc tenui folio purpura rubra notat.
 27 Haec aperit primi fastigia celsa obelisci
 28 mucronem absolvens purpurei capitis.
 29 Vertice collectos illa exsinuabat amictus,
 30 jam meditans foliis se numerare suis :
 31 nec mora : ridentis calathi patefecit honorem
 32 prodens inclusi semina densa croci.
 33 Haec modo, quae toto rutilaverat igne comarum
 34 pallida conlapsis deseritur foliis.
 35 Mirabar celerem fugitiva aetate rapinam
 36 et, dum nascuntur, consenuisse rosas.
 37 Ecce et defluxit rutili coma punica floris,
 38 dum loquor, et tellus tecta rubore micat.
 39 Tot species tantosque ortus variosque novatus

40 una dies aperit, conficit ipsa dies.
 41 Conquerimur, Natura, brevis quod gratia talis :
 42 ostentata oculis illico dona rapis.
 43 Quam longa una dies, aetas tam longa rosarum :
 44 cum pubescenti juncta senecta brevis.
 45 Quam modo nascentem rutilus conspexit Eous,
 46 hanc rediens sero vespere vidit anum.
 47 Sed bene, quod paucis licet interitura diebus
 48 succedens aevum prorogat ipsa suum.
 49 Collige, virgo, rosas, dum flos novus et nova pubes,
 50 et memor esto aevum sic properare tuum.

III NOMINA MUSARUM

A_A3 v.1 Clio gesta canens transactis tempora reddit.
 2 Dulciloquis calamos Euterpe flatibus urguet.
 3 Comica lascivo gaudet sermone Thalia.
 4 Melpomene tragico proclamat maesta boatu.
 5 Terpsichore affectus citharis movet, imperat, auget.
 6 Plectra gerens Erato saltat pede carmine vultu.
 7 Urania motusque poli scrutatur et astra.
 8 Carmina Calliope libris heroica mandat.
 9 Signat cuncta manu loquiturque Polymnia gestu.
 10 Mentis Apollineae vis has movet undique Musas :
 11 in medio residens complectitur omnia Phoebus.

IV DE SIGNIS CAELESTIBUS

A_A4 v.1 Ad Boreae partes Arctos vertuntur et Anguis.
 2 Post has Arctophylax pariterque Corona, genuque
 3 prolapsus, Lyra, Avis, Cepheus et Cassiopeia,
 4 Auriga et Perseus, Deltoton et Andromedae astrum,
 5 Pegasus et Delphin Telumque, Aquila Anguitenensque.
 6 Signifer inde subest, bis sex et sidera complent
 7 hunc : Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo,
 8 Libra, Scorpius, Arquitenens, Capricornus et urnam
 9 qui tenet, et Pisces. Post sunt in partibus Austri
 10 Orion, Procyon, Lepus, ardens Sirius, Argo,
 11 Hydrus, Chiron, Turibulum quoque Piscis et ingens
 12 hinc sequitur Pistris simul Eridanique fluenta.

V Sulpicia queritur de statu reip. et temporibus Domitiani

A_A5 v.1 Musa, quibus numeris heroas et arma frequentas,
 2 fabellam permitte mihi detexere paucis ;
 3 nam tibi secessi tecum penetrabile retractans
 4 consilium. Quare nec carmine curro Phalaeco,
 5 nec trimetro iambo, nec qui pede fractus eodem
 6 fortiter irasci didicit duce Clazomenio.
 7 Cetera quin etiam, quot deinceps milia lusi
 8 primaque Romanos docui contendere Graiis
 9 et salibus variare novis, constanter omitto

10 teque, quibus princeps et facundissima calles,
11 adgredior : precibus descende clientis et audi.
12 Dic mihi, Calliope, quid jam pater ille deorum
13 cogitat ? An terras et patria saecula mutat
14 quasque dedit quondam marcentibus eripit artes ?
15 Nosque jubet tacitos et jam rationis egentes,
16 non aliter, primo quam cum surreximus arvo,
17 glandibus et purae rursus procumbere lymphae ?
18 An reliquas terras conservat amicus et urbes,
19 sed genus Ausonium Rutulique extirpat alumnos ?
20 Quid ? Reputemus enim : duo sunt, quibus extulit ingens
21 Roma caput, virtus belli et sapientia pacis.
22 Sed virtus, agitata domi et socialibus armis,
23 in freta Sicaniae et Carthaginis exulat arces
24 ceteraque imperia et totum simul abstulit orbem.
25 Deinde, velut stadio victor qui solus Achaeo
26 languet et immota sensim virtute fatiscit,
27 sic itidem Romana manus, contendere postquam
28 destitit et pacem longis frenavit habenis.
29 Ipsa domi leges et Graia inventa retractans,
30 omnia bellorum terra quaesita marique
31 praemia consilio et molli ratione regebat :
32 stabat in his (neque enim poterat constare sine istis) :
33 haut frustra auctori mendaxque Diespiter olim,
34 " Imperium sine fine dedi " dixisse probatur.
35 Nunc igitur qui rex Romanos imperat inter,
36 non trabe, sed tergo prolapsus et ingluvie albus,
37 et studia et sapiens hominum nomenque genusque
38 omnia abire foras atque urbe excedere jussit ?
39 Quid fugimus Graios hominumque reliquimus urbes,
40 ut Romana foret magis his instructa magistris,
41 jam (Capitolino veluti turbante Camillo
42 ensibus et trutina Galli fugere relicta)
43 si nostri palare senes adiguntur et ipsi
44 ut ferele suos onus exportare libellos ?
45 Ergo Numantinus Libycusque erravit in isto
46 Scipio, qui Rhodio crevit formante magistro,
47 ceteraque illa manus bello facunda secundo ?
48 Quos inter prisca sententia dia Catonis
49 scire adeo magni fecisset, utrumne secundis
50 an magis adversis staret Romana propago.
51 Scilicet adversis ! Nam, cum defendier armis
52 suadet amor patriae et caritura penatibus uxor,
53 convenit, ut vespis, quarum domus arce Monetae,
54 turba rigens strictis per lutea corpora telis ;
55 ast ubi res segura redit, oblita furorum
56 plebs rectorque una somno moriuntur obeso :
57 Romulidarum igitur longa et gravis exitium pax.
58 Hic fabella modo pausam facit. Optima, posthac,
59 Musa, velim moneas, sine qua mihi nulla voluptas
60 vivere : uti quondam, dum Smyrna Byblisque peribat,
61 nunc itidem migrare vacat. Vel denique quidvis
62 ut dea quaere aliud : tantum Romana Caleno
63 moenia jucundos pariterque averte Sabinos.
64 Haec ego. Tum paucis dea me dignarier inquit :
65 " Pone metus aegros, cultrix mea : summa tyranno
66 haec instant odia et nostro periturus honore est.
67 Nam laureta Numae fontisque habitamus eosdem,

68 et comite Egeria ridemus inania coepta.
 69 Vive, vale ! Manet hunc pulchrum sua fama dolorem :
 70 Musarum spondet chorus et Romanus Apollo."

VI IN PUERUM FORMOSUM

A_A6 v.1 Dum dubitat natura, marem faceretne puellam :
 2 factus es, o pulcher, paene puella, puer.

VII DE MATRE AUGUSTI

A_A7 v.1 Ante omnes alias felix tamen hoc ego dicar,
 2 sive hominem peperit femina sive virum.

VIII DIDONI

A_A8 v.1 Infelix Dido, nulli bene nupta marito :
 2 hoc pereunte fugis, hoc fugiente peris.

IX AD AMICAM

A_A9 v.1 Ecce rubes nec causa subest. Me teste pudicus
 2 iste tuus culpam nescit habere rubor.
 3 Et vice populeae frondis tremis, et vice lunae
 4 puniceam maculant lutea signa cutem.
 5 Amplexus etiam nostros pudibunda recusas
 6 et, si testis adest, oscula sueta fugis.

X

A_A10 v.1 Consuetudo oculis nil sinit esse novum.